

Johannes Freder

**Periochae || Epistolarvm || Qvæ Diebvs Domi-||nicis In Ecclesia || Proponvtvr.
Scriptae A Iohanne Freder**

[Rostock: Lucius], [1575]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762016257>

Druck Freier  Zugang






15 75
Sants Bfave
~~1111~~

12, a - 3

Im - 1248. ^{1. 8.}_{2. 2.}

Im j. 1248. i. 12



XXVI. 15.

PERIOCHAE
EPISTOLARVM
QVÆ DIEBVS DOMI-
NICIS IN ECCLESIA
PROPONVNTVR.

SCRIPTAE

A

IOHANNE FREDERO.

DOMINICA I.
ADVENTVS.

EPISTOLA ROM. 13.



VX Euangelij nobis clarissima fulget:
Et dormimus adhuc? Surgite, tempus adest.
O Sol Iustitiae, Lux vitae viua, tenebras
E nostro radijs ejce corde tuis.

A

DOMI

DOMINICA II. Rom. 15.

Nobis praescriptum est, quod scriptum est: aspice Christum,
Infirmos tolera, Christus ut ipse tulit.
Mutua nos ornet pax: Christo assumimur omnes,
Mutua ut assumant se pia corda fide.

DOMINICA III. I. Corin. 4

Ne moueare probris, odio, vel honore, vel auro,
Fidus ut in iusto sis minus officio.
Officiosa fides virtus est prima ministri:
Proxima, constanter cum facienda facit.

DOMINICA IIII Philip. 4

In Domino gaudete, pij gaudete, modesti
Vivite, sitq; fides viua, precesq; date.
Sancta decet sanctas animi moderatio mentes,
Vera est pro meritis Gratia grata DEO.

NATALIS CHRISTI.

Natus ut ipse DEI fieres, de virgine natus
Filius est hominis filius ipse DEI
Exul, inops, vilis; caelos, & opes, & honores
Affert, & iungit se tibi teq; sibi.

CIRCVM

CIRCVMCISIO. Galat. 3.

Mens ea, quæ CHRISTO confidit, libera lege
A cuncta est, Mosis spernere docta minas.
Vnicus est noster CHRISTVS saluator IESVS:
Hunc meditare meum cor, mea lingua sona.

EPIPHANIA. Esa. 60.

Omnibus in populis oriens Ecclesia CHRISTI
Ambulet in CHRISTI lumine sancta sui.
Quisquis es ex animo gaude, quòd vera salutis
Lux est orta: piè viue, DEVMq; vide.

DOMINICA I. POST EPIPH. Rom. 12.

In cruce sis tolerans, in munere fidus & acer,
In victu vita noxia damna gula.
Viva DEO, sacrata DEO sis hostia: concors
Te pax, & bonitas officiosa decent.

DOMINICA II. Rom. 12.

Fac tua, vera doce, miserere benignus egentis,
Sis patiens, gaude spe, reuerere bonos.
Mutua membra sumus nos inter, corpus & vnum,
Nos regat vna fides, vniat vnus amor.

DOMINICA III. Rom. 12.

*Ne donis confide tuis elatus & asper,
Ne pugna temere, ne mala redde malis.
Ne sapias nimium, sis nulli iniurius: error,
Exemplumq; malum sit procul, ira procul.*

DOMINICA IIIII Rom. 13.

*Omnis ab aeterno est & summo Rege Potestas:
Quae gerit in terris munia magna DEI.
Implet amor legem, sed amor parte integer omni,
Fac alijs, fieri quod cupis ipse tibi.*

DOMINICA V. Col. 3.

*Pax Divina ferens in nostro pectore palman
Nos vno iungat corpore CHRISTE tibi.
Sermo Dei in nobis habitans sapienter abundet,
Laus CHRISTI finis sit tibi quicquid agis.*

SEPTVAGESIMA. I. Cor. 9.

*GLORIA vera DEI nostri sit meta laboris:
Cogitet hanc animus, vox sonet, acta probent;
Sint media ad rectam recta ducentia metam:
Sedulius officij fac opus omne tui.*

SEXA-

SEXAGESIMA. 2. Cor. II. 12.

*Astera discite pati: Patientia proderit olim:
Fac pius ad laudem, quod facis omne, DEI.
Laus est summa graues constanter ferre labores,
Summa ministrorum gloria, multa pati.*

QUINQUAGESIMA. I. Cor. 13.

*Optimus, alma, Dei cultus, Dilectio fratris
Prælucente fide notitiaq̄ DEI.
Longanimis, candoris amans, & suavis, & æquus,
Te rege quando tumes, ne meditare malum.*

QUADRAGESIMA. 2. Cor. 6.

*Audi sacra piè, frustra nec discite, nec audi:
Et pia verba pios & pia facta decent.
In cruce demonstra fidei documenta, noue q̄q̄
Fructus da vitæ simplice mente DEO.*

REMINISCERE. I. Theß. 4

*Fructibus in fidei sinceræ profice: templum
Ut sis æterni tempus in omne DEI.
Sancta tibi mens sit, cæcæq̄ libidinis expers,
Sis sine fraude, Deus vindicat omne scelus.*

A 3

OCV

O C V L I. Ephes. 5.

Nos vt Christus amat, sic nos amor vniat vnus:
Suauis odor Domino mens pia, sermo pius.
Non sit auara manus, non sit vox spurca, nec ardor
Illicitus: castis gaudet adesse DEVS.

L Æ T A R E. Gal. 4

Ismael est Agaris, Sarai filius Isac:
Liber hic, is seruus: gens tua Sara sumus.
Iustitia Legis decoratum viuere rectum est:
Sed nos iustificat nil nisi sola FIDES.

I V D I C A. Ebræ. 9.

Pontificem merito summum te CHRISTE vocamus,
Qui nobis reddis mitia corda patris.
Tu facienda facis, præstas præstanda Redemptor,
Sanguine qui proprio crimina nostra lauas.

P A L M A R V M. Phil. 2.

Christus patre DEO Deus est, homo virgine matre,
Possit vt omnis homo filius esse DE I.
Est illi super omne datum venerabile nomen:
In quo terra stupet, styx tremit, axis ouat.

P A S C H A

P A S C H A, 1. Cor. 5.

EXpurgate vetus fermentum: fidite **CHRISTO**,
CHRISTVS pro nobis victima sancta cadit:
Pectora sancta decet cui nos offerre vicissim,
Sincera vt simus veraq; templa **DEI**.

Q V A S I M O D O G E N I T I 1. Iob. 5.

Nostra fons vitæ nostræq; salutis origo est,
Quæ verè **CHRISTO** nititur, vna **FIDES**.
Vera Fides mortem vincit; victoria nostra est,
Iustitiæq; decus, munere Christe tuo.

M I S E R I C O R D I A. 1. Pet. 2.

Exemplum **CHRISTV**S nobis venerabile morum
Est patiens, eius nullus in ore dolus.
Sicut oves fuimus dubijs quæ passibus errant,
Nunc fas est rectas ire redire vias.

I V B I L A T E. 1. Pet. 2.

Sinceros fidei fructus ostende modestè,
Exemplisq; bonis iustitiæq; præi.
Sis humilis, paci q; stude, Regemq; verere:
Esse Magistratum vult in honore Deus.

C A N.

CANTATE. Iacobi. 1.

Fons viuis vitæ Deus est autorq; bonorum,
Qui verbo vitæ pectora viua facit.
Sis velox audire, loqui sis tardus, & iram
Exercere piger, cunctaq; praua fuge.

VOCEM INCVNDITATIS. Iacobi 1.

Non satis est audire DEI vel discere verbum:
Quod scis exerce, req; fideq; proba.
Qui linguam frenare nequit, se disijcit ipsum,
Et sine iudicio quod facit omne facit.

ASCENSIONIS. Act. 1.

Corpore ceu uero conscendis ad æthera CHRISTE,
Sic etiam ad cælum nos faciemus iter.
Captiuus Satanæ & mors captiua trabuntur:
Iste tuus noster CHRISTE triumphus erit.

EXAUDI. 1. Pet. 4.

Sobria corda sacris sunt apta & idonea votis:
Multa pius multis commoda præstat amor.
Hospitium præbe peregrinis mente benigna,
In uero facias cuncta timore DEI.

PEN.

PENTECOSTE.

Actor. 2.

Sancte veni donisq̄ tuis nos SPIRITVSorna;
Nil sumus aut scimus te sine sancte DEVS:
Votis vota, preces precibus, gemitusq̄ gementi
Misce, nosq̄ tibi templa sacrata facis.

TRINITATIS.

Roman. II.

Quanta DEI bonitas? sapientia quanta? quis vnquam
Consilij nouit sensa profunda DEI?
Agnitione DEI nihil est preciosius, omnes
Hunc sibi thesaurum te duce Christe parent.

DOMINICAL POST TRIN.

I. Iohan. 4.

Mutua cum nostras iungit dilectio mentes
Est Deus in nobis, nos sumus inq̄ DEO.
Dilige verè alios, DEVS est Dilectio: quisquis
Fratrem amat in sancto permanet ille DEO.

B DOMI

DOMINICA II.

i. Iohan. 3.

Ne verbo tantum vel lingua dilige fratrem,
Sed quacunq; potes reę fideę iuua.
Non amat ille Deum, qui non declarat amorem
Officijs fratri qua ratione potest.

DOMINICA III.

i. Pet. 5.

Sis humilis, confide DEO: vigilantia mentis
Sobrietasq; tuam seruet alatq; fidem.
Non Satan in dulcem declinat lumina somnum,
Mille sed insidias nocte dieq; struit.

DOMINICA IIII.

Rom. 8.

Lætus erit, felixq; tuę crucis exitus, & iam
Gaudia pro lacrymis certa parata tibi.
Fer placidè ærumnas paruo quę tempore durant,
Cruce leuis æternum pondus honoris habet.

DOMINICA V.

i. Pet. 3.

Perpetuò nostras coniungant fœdere mentes,
Pura fides, concors gratia, verus amor.

Nos

*Nos decet ingratis etiam fecisse benignè,
Qui nati vero dicimur esse DEO.*

DOMINICA VI.

Rom. 6.

*Cum Christo morimur qui sacro fonte lauamur,
Cum Christo nobis vita beata redit.
Peccato morimur, virtuti viuimus: Illa
Mors est grata Deo, vitæq; grata Deo.*

DOMINICA VII.

Rom. 6.

*Vita æterna, DEI donum est per vulnera Christi,
Christum si redamas, à nece liber eris.
Seruus Iustitiæ fidei sis præmia habentis
Vitæ, Peccatum præmia mortis habet.*

DOMINICA VIII.

Rom. 8.

*Vt libet ergo licet iam viuere? quando reuersa est
Libertas CHRISTI sanguine parta tibi?
Non ita: Spiritui, non carni debita præstes,
Spiritus est vitæ, mortis origo caro.*

B 2

DOMI

DOMINICA IX

I. Corinth. 10.

Ne malè præcipites in crimina fæda ruamus,
Diuinam aſiduè quiſq; precemur opem.
Nanq; fidelis erit Deus vt fuit vsq; fidelis:
Nec ſupra vires nos ſinet ille premi.

DOMINICA X.

I. Corint. 12.

Quiſq; modeſtus agat, quod agi videt eſſe neceſſe,
Dat diuerſa Deus multaq; dona ſuis.
Si tibi dona, tibi vtilitas ſit publica cordi,
Ne contemne alios. Nam Deus illa dedit.

DOMINICA XI.

I. Corint. 15.

Pro nobis veluti moreris, ſic Chriſte reſurgis,
Vtq; reſurgis humo ſic quoq; ſurget homo:
Ibit & in letam trifti è caligine lucem,
Fauſtaq; pro miſera valle theatra colet.

DOMINICA XII.

2. Corinth. 3.

Nemo poteſt niſi dante Deo ſibi ſumere quicquam:
Munere Diuino quod ſumus omne ſumus.

Terret

Terret & occidit Lex Mosis tradita voce;
CHRISTI Euangelium pectora viuificat.

DOMINICA XIII.

Galat. 3.

Non te participem faciunt opera vlla salutis,
Sola potest CHRISTI iustificare FIDES.
Lex tibi te monstrat Diuina, malumq; cohercet,
Deq; DEO quæ sunt cunq; scienda docet.

DOMINICA XIII.

Galat. 5.

Spiritui lucta est cum carne grauissima: stemus
Perpetua vigiles in statione pij.
Spiritui quisquis parebit, saluus ouabit:
Carnis opus nostræ nil nisi mortis opus.

DOMINICA XV.

Gal. 5. & 6.

Mirificè exornat præclara modestia vitam:
Fac ea quæ sequitur Gloria vera comes.
Gratia pro meritis debetur summa docenti:
Alterius neuos alter onusq; ferat.

B 3

DOML

DOMINICA XVI.

Philip. 5.

Sis constans, effunde preces, confidito Christo,
Immensa speres in bonitate DEI.

Excellenter opem Deus affert, optimus autor
Consilij, nemo cum iuuat, ille iuuat.

DOMINICA XVII.

Ephes. 4.

Vnanimis simus velut vnum corpus, & vnus
Spiritus, vtq; vnus Christus, & vna Fides,
Vnaq; spes, vnum baptisma, vocatioq; vna:
In vero sit mens omnibus vna DEO.

DOMINICA XVIII.

i. Corinth. 1.

Summum nosse Deum, summa est sapientia: summi
Summa boni est, vero corde timere Deum.

Nos aeterna breuem post vitam vita manebit,
Fidere quos Christo viuere quosq; innat.

DOMINICA XIX.

Ephes. 4.

Deponatur homo vetus, & renouetur in ipso
Iustitia, & sancti suavis imago DEI.

Exue

*Exue peccati sordes, veroq; timore
Indue notitiam speq; fideq; boni.*

DOMINICA XX.

Ephes. 5.

*Tempore dum præsens est, utere, viue modestè,
Iam iam viue piè, perniciofa mora est.
Sobrius & prudens rege consilia omnia vitæ:
Hymnis decanta facta benigna DEI.*

DOMINICA XXI.

Ephes. 6.

*Militia est hæc vita: Fides, Oratio, Verbum,
Omnibus arma pijs, cætera Christus agit.
Aduersus mundi dominos tibi lucta, resiste
Fortiter, exerce fortiter arma DEI.*

DOMINICA XXII.

Phil. 1.

*Summum nosce bonum, grates per solue benigno
Sæpe DEO, constans in pietate mane.
Sic viue, vt Christo placeas, se mundus adoret;
Non hîc, in cælis præmia certa tibi.*

DOMI

DOMINICA XXIII.

Galat. 3.

*A falso Doctore caue: tua munia constans
Perfice, discordes consociare stude.
Querat opes alius, mundanos querat honores,
Tu quere æterni regna beata DEI.*

DOMINICA XXIIII.

1. Coloss. 1.


*Summa tenet, nouitq̄, DEI cui nota voluntas,
Nos quod amet nati totus amore sui.
CHRISTE fidem nobis fidei cum fructibus auge,
Transfer & in regni nos sacra templa tui.*

DOMINICA XXV.

2. Pet. 1.

*Vox Euangelij dux est & norma salutis:
Hanc audi constans hanc retinere stude.
Donec in hac misera versor caligine vite,
Vox tua sit pedibus CHRISTE lucerna meis.*

F I N I S.



O Homo si tu amares
Salutem, te emendares,
Creatoremq; laudares.
Prestans est tua figura,
Summi Dei creatura,
Supra omnium natura.
Quo docet te non ditant?
Teq; abunde ornant?
Aut qua re, te, dic primum?
Sed Deus benignitatis,
Quantum passim prauitatis,
Mundi Vniuersitatis.
Nouit bos suum pastorem,
Et Asinus assessorum,
At non Homo creatorem?
Mundus rursus est redemptus,
Et Diabolus peremptus,
Sed sanguis Christi contemptus.
Vera doctrina preclara,
Sed Confessio Amara,
Nam Vita et bona Chara.
Sed heus Mundi Sapientes,
Interim absententes,
Mundo, non Deo redentes.
Cum abnegas Veritatem?
Et recipis Vanitatem?
Ob paruum Vilitatem?
Dies Ire festinabit,
In famillam conflagrabit,
Te mundumq; iam instabit.

Quantus tremor est futurus?
Quando Iudex est Venturus?
Cuncta Stricto desponsurus?
Tumba mirram sparget Sonum,
Per Sepulchra regionum,
Cogit omnes ante Thronum.
Mors sui perbit et natura,
Cum resurgat creatura,
Indicanti responsura.
Libro scriptus profertur,
In quo totum continetur,
Vnde Mundus indicetur.
Iudex semperis sedebit,
Quidquid latet apparebit,
Non inultum remanebit.
Quid tum miser es dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Dum vix Iustus sis seruus?
Ach, Ach, iugemifer, Deus,
Culpa rubet Vultus meus,
Aeternae poenae sum verus.
At tu impijs conuictis,
Flammis acribus addictis,
Ducris cum Maledictis.
O Adoranda Trinitas,
Semper Sancta Diuinitas,
Et Essentiae Vnitatis.
Deus tremendae Maiestatis,
Cum Saluando saluas gratis,
Salua nos fons bonitatis.
Iuste Iudex Vltionis,
Donum fac remissionis,
Autem diem rationis.

PATER, VERBI Generator,
Omnium rerum creator,
Peccatorum Vitae dator,
Oro Supplex & ardentem,
Gere curam nostri semper,
Nos exaudi patienter.

Preces nostrae non sunt dignae,
At tu bonus fac benignus,
Ne perenni cremer igne.

VERBUM Patris Ihesu Christe,
Vere Agnus Dei iste,
Quem tradunt Euangelistae.

Remitte quaeſo peccata,
Noſtraq; multa errata,
Tua morte Expiata.

Qui Dauidem absoluiſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem daſti.

Inter Omnes locum preſta,
Et ab hostibus me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.

SPIRITVS Viuificator,
Diuinae gratiae dator,
Piorumq; conſolator.

Serua nos in Veritate,
Verbi tui puritate,
Proximiq; Charitate.

Ne a malo ſeducamur

Intervin, dum hic Verſamur,
Hoc nos ardentem precamur


: Amen :

Aphorismi de Iudicio Extremo

Iudicabit Iudices Index Generalis,
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive sit Episcopus, Sive Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.

Ibi nihil proderit allegare,
Nec excipere, neq; replicare,
Nec ad Apostolicam sedem appellare,
Reus condemnabitur, nec dicetur quare.


Cogitate miseri qui, & quales estis,
Quid in hoc Iudicio dicere potestis,
Quo nec locus erit codici, nec digestis,
Idem erit Dominus, Iudex, actor, Testis:




alis.

ve,
have.

is,
is,
his:





MINICA XXIII.

Galat. 3.

caue: tua munia constans
cordes consociare stude.
Quera... mandanos querat honores,
regna beata DEI.

DOMINICA XXIII.

Summa tenet, no... nota voluntas,
Nos quodd a... amore sui.
CHRISTE fidem n... fructibus auge,
Transfer & in... templa tui.

DOMINICA...
2. Pet.

Vox Euangelij dux est & nor.
Hanc audi constans hanc
Donec in hac misera versor calig.
Vox tua sit pedibus CHR... meis.

FINIS.